



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TORONTINA SLOVACHORUM BYZANTINI**

RITUS* PRO SLOVACHIS FIDELIBUS RITUS BYZANTINI IN CANADIA

COMMORANTIBUS EPARCHIA SANCTORUM CYRILLI ET METHODII

CONSTITUITUR APOSTOLICAE SEDI IMMEDIATE OBNOXIA Apostolicae Sedis, studiosissime in spiritale omnium fidelium bonum intentae, mos est, cum tempus necessitasque postulat, in variis orbis terrarum locis Eparchias constituere constitutasque ita tueri, ut et ipsis Christifidelibus ritum Byzantium profitentibus faveat in eoque servando congruenter auxilietur. Hac de causa, quo magis in dies Christianus foveatur progressus Slovachorum fidelium ritus Byzantini in Canadia degentium curaque Visitatoris Apostolici usque in praesens fruentium, existimamus iis magis consentanea ratione esse consulendum, neque aliter ceteroquin sentimus de memorato Visitatore Apostolico, qui, adhuc Episcopus Ecclesiae titulo Tzernicensis, ipse primus erit eorum sacrorum Antistes plenoque iure pastor. Nos igitur hisce nunc Litteris de plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae pro omnibus fidelibus Slovachis ritus Byzantini in Canadiensi Natione commorantibus Eparchiam Sanctorum Cyrilli et Methodii, cuius illic sedes erit in urbe Toronto, condimus eamque Apostolicae huic Sedi immediate obnoxiam esse volumus sicque iubemus. Denique has Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse Nos certe volumus, contrariis quibuslibet haud obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo tertio mensis Octobris, anno Domini millesimo nonagesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

LADISLAUS Card. RUBIN

S. Congr. pro Eccl. Orientalibus Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXIII (1981), n. 3, p. 220

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana